



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. III. Memoratae prius revelationis veritas expenditur; ubi, occasione accepta, quæ fides ejusmodi cœlestibus gratiis adhibenda sit, obiter perstringitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

culiari Numinis providentia esse propagatum.

His de origine ac progressu Sanctissimi Cultus præmissis, jam ad naturam ejusdem explicandam accedamus. Porro quum ad ejusmodi expositionem, si secundum divinum consilium procedere velimus, multum conferre debeat revelatio illa peculiaris, de qua superius dictum est: expedire omnino videtur illius veritatem capite sequenti confirmare.

CAPUT III.

Memorate revelationis veritas expenditur. Ubi, occasione accepta, que fides ejusmodi cœlestibus gratiis adhibenda sit, obiter perstringitur.

Ostendam paulo post, cultum cordis Jesu ita esse per sese solidum & excellentem, ut nihil opus sit ad cœlestem visionem confugere authoritatis accersendæ causa. Verumtamen quum hoc officium ab ipso Jesu divinitus fuisse traditum dixerimus; hocque si verum esse comprobetur, aptissimum sit ad fidelium animos ad pium cultum alliciendos: videndum sane est num allatæ revelationis veritas satis firmo nixa fundamento sit: an fortassis fœminæ deliramentum aut alucinatio pro divino monito nobis imprudentibus obtudatur. Quæ res eo magis examinanda videtur, quod ea vivimus ætate, qua multos reperire est tam alienos ab hisce gratiis inusitatis, ut quidquid ejusmodi audiunt, tanquam fabulas, meraque somnia respuant, & asper-
nen-

nentur. Neque illas dumtaxat cœlestes visiones quæ nostris temporibus contingere dicuntur, rejiciendas existimant: verum eas quoque quæ olim sanctis viris ac fœminis obtigere, in dubium vocare, præclarum putant ac præferunt. Verum quam imprudens quamque temeraria hæc judicandi ratio sit, cuperem sane, ut qui ita animo comparati sunt, paulo attentius considerarent. Facile nimirum intelligerent, se, quum levitatis atque ineptæ credulitatis vitium fugere volunt; in aliud non minus vitandum incidere, quum ea scilicet credere renuunt, quæ negari sine ingenti temeritate non queunt. Puto autem ingenti temeritate non vacare, si quis universe neget, dubitetve, cœlestes visiones, revelationes, aliaque id genus beneficia & obtigisse olim plerisque Sanctis; & nostris quoque temporibus similia quandoque contingere. Et quidem quod ad Sanctos ab Ecclesia receptos attinet, res demonstrari facile potest: ut enim omittam rationem, quæ peti potest, tum ex authoribus summa fide dignis, qui acta Sanctorum scripsere: tum ex Ecclesiæ autoritate, qua hæc eadem acta, ante solemnem inter Sanctos relationem recognita diligenter ac discussa, probata denique sunt: ut hæc inquam omittam, res eadem evidentissima redditur ex scriptis quæ a Sanctis ipsis confecta dum viverent, post illorum mortem, in lucem, Deo sic ad suam gloriam ordinante, prodire: in quibus multæ ejusmodi gratiæ inusitatæ, ab eis divinitus acceptæ, fatentibus ipsis ac narrantibus, continentur.

Atque ut de viris fileam, ac de fœminis tantummodo
agam:

agam: de quibus nimirum major esse suspicio solet, ne errore & allucinatione ducantur: ajo dubitari sine stultitia, nedum temeritate non posse, quin Theresia exempli causa, quin Gertrudis, Catharina Senensis, Magdalena de Pazzis, aliæque ejus generis virgines, veras a Deo illustrationes, ac revelationes acceperint. Quod ego, hoc unico argumento, quod tetigi, plane confici posse existimo: nempe extant libri ab ipsa Theresia, ab Gertrude, aliisque, instinctu divino conscripti; consilium dantibus imo cogentibus Prælati ac confessariis: qui libri pleni sunt cœlestium visionum aliarumque omnis generis divinarum gratiarum, quas sibi a Deo sæpius immittas illæ ipsæ declarant. Jam vero si hæc, univèrse sumpta, utrum a Deo vere profluxerint, vertatur in dubium; alterum e duobus dici necesse est: vel illas virgines mentitas ultro fuisse, quod summæ esset improbitatis; aut certe deceptas, & allucinatas, quod in tanta gratiarum ac revelationum copia summæ esset stultitiæ. Cum autem nihil horum de sanctissimis ac prudentissimis virginibus non modo dici salva pietate sedne cogitari quidem rationabiliter posse videatur, quid restat, nisi ut fides earum dictis ac scriptis adhibeatur? Nam si neque mentitæ, neque deceptæ sunt, certe quæ narrant, ut plurimum vera esse, prorsus necesse est.

Dixi ut plurimum. Nimirum ut alterum extremum vitiosum evitemus, & in medio quodam, veræ virtutis & sanæ doctrinæ, proprio, consistamus. Neque enim animus est persuadere, omnia quæ a viris Sanctis
in

in eo genere, aut dicta, aut scripta sunt, cœco quodam modo accipi a nobis, ac credi debere: quum hoc folius Scripturæ, ac sacrorum Authorum proprium sit: fatendumque sit errari ab aliis, in casibus particularibus, posse, iis etiam in rebus quas sibi divinitus traditas putant. Quare prudenti semper Prælatorum ac doctorum examini ac judicio omnia subjicienda sunt. Itaque, ut accidit in materia miraculorum, ita & revelationum. Negare universa miracula velle, temerarium & impium est, quanquam falsa aliqua miracula proferantur. Non minoris autem temeritatis, aut impietatis videtur esse, revelationes particulares generaliter rejicere velle, propterea quod falsæ aliquando evulgentur. Igitur regula certa tenenda hæc est, quam tradit Apostolus, *prophe- tias nolite spernere. Omnia probate. Quod verum est tenete.*

Sed ad rem nostram redeamus. Argumento modo adducto ad fidem Sanctarum virginum scriptis astruendam, quid responderi sapienter, aut qua ratione vis illius infringi possit, ego sane non video. Age enim quisquis ita animo comparatus es, ut his adjungendam esse fidem non putes: & vide in quas te demum angustias, si tibi quidem constare velis, conjicias. Horum enim unum dicendum tibi necessario est: aut his libris quos citamus, res quas dicimus, minime contineri: aut libros falso prædictis virginibus adscribi: aut si ab illis scriptos fatearis, denique mentitas esse, aut meras certe hallucinationes pro rebus veris scripsisse, dicere cogaris. Quoquo te veritas, temeritatis ut minimum notam non

D effu-

effugies . An negabis libris citatis cœlestes visiones ac revelationes contineri ? Sed libri extant, quorum lectione mendacii convinceris . An dubitabis , eos libros a Sanctis fœminis quibus adscribuntur vere fuisse profectos ? Scilicet dubitabis, num Theresia vitam ipsa suam obedientia cogente conscripserit ? At hoc si negare cupiam veniat in mentem, an minoris stultitiæ fore videatur, quam si dubitaretur num ipsamet Theresia in vivis aliquando fuerit ? Quum unum alio nihilo certius a prudentibus habeatur . Quid ergo, quum integrum non sit aut libros , aut librorum authores habere suspectos ; an dices has virgines scribendo mentitas esse ? aude ergo eas simul appellare improbas , hypocritas , impias : Ecclesiam damna, quæ mendaces ejusmodi æternis suppliciis dignas , adscripserit Cœlo . Non mentitas eas quidem ex consilio , sed tamen decipi potuisse dices . Ego vero interrogo , an a Dœmone deceptas credis ; an errore proprio ? a Dœmone ? hoc vero horrendum dictum est : an tu hoc probrum Sanctissimis virginibus inurere audeas ? Tibi illæ videlicet idoneæ videntur, quæ Diaboli ludibrium fuerint ? Tu tantum imperium spurcissimis spiritibus in Sponsas Christi castissimas fuisse censes, ut impune illis illudere potuerint ; easque ita fascinare , ut diabolica præstigia pro Christi muneribus & blanditiis habuerint ? Superest ut allucinatae fuerint , proprioque errore ductæ : minus quidem illud horrendum dictum , sed temeritatis tamen plenissimum . Hoc enim generaliter dicere, quid est aliud, quam eas Sanctas accusare dementiæ ? Quid enim esse dementius possit , quam

quam inania rerum simulacra mente conficta, pro rebus ipsis accipere; meraque somnia pro visionibus cœlestibus venditare? Quid stolidius, quam si quis existimet se Christum Dominum, aut B. Virginem, aliosve Sanctos præsentibus oculis cernere; cum absint penitus: se eos alloqui, interrogare, responsa accipere, qualia in prædictis codicibus scripta legimus; quum reipsa nihil eorum contingat, meraque ludificatio sit, animique inepte aberrantis hallucinatio? Sic delirasse Theresiam, sic Gertrudem, sic Mechtildem, sic Catharinam Senensem, sic insanisse Virgines toto orbe ingenio ac prudentia celeberrimas, & quidem non semel, aut iterum, aut certo ætatis tempore; sed sæpissime, sed per totam vitam ad extremum usque spiritum in stultitia permanisse: quis demum vir bonus ac Christianus, quis sanæ mentis sibi persuadeat? Ac illæ quidem rationes majus sane momentum habent, ad persuadendum vera esse ea, quæ scœminæ sanctitate conspicuæ de seipsis narrant, quam quidquid in contrarium ab adversariis dici solet. Quid vero dicunt, quid opponunt? Nam id quidem nosse & in medium afferre operæ pretium est. Unum ajunt: incredibilia prorsus esse, quæ narrantur. Equidem, quum legunt Dominum Jesum cor suum Sacrosanctum Divæ Catharinæ dono dedisse: Sanctam Gertrudem supra ipsum cor Jesu requievisse; ipsumque Jesum, quod mirabilius est, in cor Gertrudis ingressum esse: aliaque similia, quæ harum Sanctarum scriptis continentur: his vero se fidem adhibere posse negant. Ecquis enim tam hebes, tamque pueriliter credulus repe-

riatur, qui hæc serio putet esse vera? Hæc dicunt, hæc contracto supercilio quum dixerunt, securi sunt; quasi nihil reponi queat, quod eos a sententia vel leviter dimovere valeat.

Nos vero ut incredulos hujusmodi revincamus, respondemus: Primo, nihil cogere ut credamus ejusmodi gratias per Christum ipsum immediate ac corporaliter exhibitas esse. Id enim omne fieri potuit Angeli alicujus ministerio, ac per quasdam species exprimentes sensibiliter, quod Dei gratia in earum virginum cordibus operabatur. Quod certe ad minuendam credendi difficultatem aptissimum est. Verum ut in eorum sententia loquamur, quibus placet has gratias inusitatas, simpliciter & in sensu verborum proprio, uti narrantur, accipi debere: ita ut a Christo immediate profectæ & corporaliter exhibitæ credantur; respondemus secundo in hunc modum. Quum tota ratio qua se increduli tumentur, in credendi difficultate consistat, nos a ratione prius facta non discedentes, petimus utrum credibilius sit Sanctissimas virgines, quas appellavimus, aut mentitas ultro fuisse: aut a Dæmone deceptas: aut amentes denique fuisse? Peto, utrum credibilius sit Sanctos ac peritissimos rerum spiritualium magistros, qui virgines illas in via spiritus regebant, deceptos quoque fuisse; animique delirantis ineptias, ab actione divina discernere non valuisse? Utrum denique credibilius sit Ecclesiam in eo errore versatam esse, ut foeminas inanium fictrices visorum; deliras prope atque insanas; contemptu & irrisione dignissimas; denique quas inter personas

rationis compotes annumerare non liceat, Sanctorum numero tanquam cœlestis sapientiæ plenas solemniter adscriberet?

Verum enim vero ut contradicentes convincamus, eorumque opinionem infringamus, unicumque credendi impedimentum removeamus, asserere non dubito, inter gratias illas inusitatas, quæ de Sanctis memorantur, nihil esse, quod incredibile dici, aut videri debeat, si paulo attentius considerare velimus, quid amor Jesu Christi erga homines possit; quidve reipsa jam effecerit. Ego quidem quum animo mecum ipse reputare cœpi beneficia hominibus a Christo Jesu collata: ipsumque in primis contemplor Eucharistiæ Sacramentum; cætera ut verum fatear, quæ a Christi charitate, ac beneficentia Sanctis hominibus accidisse narrantur, quantumlibet mira & inusitata, mirari prorsus desino. Neque dubitare possum, quin omnes, qui ad hæc animum attenderint, in eadem mecum sententia futuri sint. Eos igitur cum quibus res mihi nunc est vehementer oro, ut ad hoc mysterium animum tantisper adjiciant: dicantque, quid sibi incredibilius, quid ab humano sensu, ac cogitatione remotius videatur, an Jesum cor suum Sacrosanctum Sponsæ castissimæ ac dilectissimæ dono dare, aliaque ejusmodi facere quæ de Gertrude, Catharina, aliisque virginibus referuntur: an Corpus suum quantum quantum est, adeoque & cor, & caput, & sanguinem, & animam, se denique totum, in cibum potumque vili homuncioni, ac peccatori tradere? Quæ consideratio ut sit efficacior: finge tantisper animo,

Eucharistiæ Sacramentum nusquam institutum ; nosque hujus mysterii fide plane carere : hoc rerum statu , si quis cœlestia beneficia commemorando , quæ a Domino virgini cuiusdam conferuntur , hanc gratiam inter cæteras afferret , nempe Dominum Jesum virginis illius gratia & amore , ut ne momento quidem temporis ab ea disjungi posset , seipsum specie panis velatum , sacraque inclusum pixide , illius potestati penitus commisisse : imo stupendo prodigio , ut se intimius illi conjungeret , seipsum hac specie tectum , manducandum illi quotidie præbere ; suaque illam carne , suoque Sanguine nutrire solitum. Quid hæc audiendo censeremus ? quid increduli nostri dicturi essent ? num commentum ullum absurdius , ineptiusve deliramentum afferri posse putarent ? atqui hoc ipsum quod hominibus divinam beneficentiam ignorantibus , Deique opera humano sensu metientibus , insanum , imo impium videri posset ; hoc inquam fecisse Christum jam fide divina tenendum est ; & quidem fecisse non pro amicis dumtaxat , qui cum Gertrude , Theresia , similibusque comparari possint : sed pro cunctis promiscue fidelibus , quantumvis negligentibus , & in amore Dei torpentibus . Hæc si quis animo reputaverit , huic ego cæteras gratias in sanctos cœlitus congestas nunquam incredibiles visum iri certo scio.

Jam vero si hoc semel extorserimus , ut Sanctorum dictis ac scriptis , in iis saltem rebus quas de se ipsi commemorant , fides adhibenda sit : multum quidem omnino profecimus : cætera enim , quæ in præsentia cupimus ,
fa-

facillime sequuntur. Quippe quibus argumentis demonstratum est, negari sine ingenti temeritate non posse, quin cœlestes revelationes olim sanctis hominibus vere obtigerint: iisdem plane conficitur, temeritate quoque non carere, si quis in dubium vocet, similes gratias his quoque temporibus contingere. Siquidem personas sanctitate illustres hac etiam ætate vixisse certum est: quæ ipsæ quoque Dei instinctu, ex consilio pariter & imperio Prælatorum, ac confessoriorum virorum Sanctorum ac sapientium, cœlestes illustrationes, gratias, ac revelationes, divinitus acceptas scripto tradidere: quæ post mortem typis editæ, non secus ac illæ antiquæ summa cum admiratione, animarumque fructu leguntur: De illis autem jure optimo idem confici argumentum potest, quod de prioribus confecimus. Servata utique debita proportione, quam intercedere æquum est, inter virgines Cœlo ab Ecclesia asertas, aliasque, quæ hoc eodem honore nondum dignatæ sunt. Videlicet credi prudenter non posse generaliter loquendo, personas illas aut mentitas ultro, aut turpiter deceptas & allucinatas; quum id, et eorum sanctitati, et sapientiæ repugnet. Atque ita reliquum est ut fateamur fidem mereri, quæ scriptis suis commendarunt. Quæ persuasio bene stat cum hoc alio prudente judicio, quod in casibus particularibus errari ab illis possit. Ut antea dictum est. Atque hoc argumentationis genus efficacissimum semper, atque evidens futurum est, quoties et personam vera sanctitate fuisse præditam, et res quæ afferuntur, vere ab ipsa profluxisse constabit. Maxime

xine quando certæ aliæ quædam circumstantiæ concurrunt ad assensum extorquendum validissimæ .

Inter cæteras autem personas in quas hæc omnia cadere certo possunt, ut aliquando tandem ad rem nostram veniamus, enitet in primis virgo illa Sanctimonialis Parodiensis, de qua superius diximus. Scripsit enim ipsa quoque, jubentibus ac cogentibus superioribus, cœlestes gratias quæ sibi divinitus obtigerant: in quibus non solum revelatio qua de agitur, una cum aliis id genus beneficiis, continetur; sed præterea ex illis aperte cognoscitur eam virginem ad opus præsens electam a Deo & destinatam fuisse, infinitisque donis ad illud perficiendum præparatam ac dispositam. Extant autem hæc scripta ipsius sanctimonialis manu confecta, in Monasterio Parodiensi, Episcopi Augustodunensis D. De Dromenil autoritate ex forma juris recognita; et a Commissario ab eo deputato, solemniter, ut fieri solet, subscripta, propriâque notâ insignita. Eorum autem exemplum accuratissimum, & authenticum, ad nos a dicto Monasterio transmissum, sub hujus libelli finem, quemadmodum jam promisimus, summa fide in latinum translatum exhibebimus. Itaque de scriptis quidem nullum esse dubium potest. Quod vero ad vitæ sanctimoniam attinet, ea evidentissima redditur, tum eorum testimoniis qui cum illa vixere, præsertim Superiorum ac Prælatorum, qui personæ sanctitatem demirati, dum viveret, post ejus obitum prædicare non cesarunt (hæc porro testimonia in scriptis habemus, & proferemus): tum judicio virorum pietate insignium, qui

qui animam ejus rexere : in quibus eminent P. Claudius la Colombiere, cujus judicium maximi semper ponderis erit, apud eos certe qui hominis merita noverunt. Ille vero quid in ea re senserit, scripta ejus quæ superius retulimus, aperte testantur. Verum quæ fuerit hujus virginis quamque sublimis in virtute perfectio, nullo ex alio capite certius dignosci potest, quam ex illius vitæ actis, quæ postea integra referemus. Interea hoc unum id loci afferre placet, ex quo jam tota illius vitæ ratio quam perfecta fuerit, certo certius conjicere licebit. Nimirum multos ante mortem annos, de Confessarii & Superiorum consensu, votum maxime arduum emiserat illi propemodum simile, quod a S. Theresia factum cum admiratione legimus: quo voto se summo Deo obstrinxit, acturam se in rebus omnibus, quicquid demum divinæ majestati gratius futurum cognosceret. Quod quam perfectissime expletum ab ea sit, ii testantur qui cum illa simul vixere. Huc accedit fama, & opinio sanctitatis mortem illius consecuta: qua, totâ jam Europâ, tam in universo suo ordine, quam apud alios omnis conditionis homines, illos præsertim qui sacro cordis Jesu cultui addicti sunt, celebris est. Tam præclaram vero illustremque famam habere Deus non fineret sceminam mendacem, aut inanium visorum fictricem. Deceptio siqua est, serius ocyus demum cognoscitur; neque contigit unquam ut qui errore sunt ducti, diu pro sanctis habiti sint, maxime post mortem, quæ memoriam omnium hominum extinguit, præter quam justorum & amicorum Dei. Adjiciemus ad cumulum

E

mi-

miracula quibus Deus famulae suae sanctitatem testatam voluit, quorum unum inter caetera illustrius, rationeque authentica ab ordinario loci recognitum sub finem cum aliis actis exhibebimus. Denique ipsa cultus Sacrosancti cordis Jesu institutio, cujus author haec virgo fuit; ipsiusque Sanctissimi cultus incrementa, ac progressus, qui omnem vicere expectationem, argumento sunt, quo haud scio an aliud evidentius esse possit, ejusmodi consilium vere a Deo profluxisse. *Nam si esset ex hominibus consilium hoc, dissolveretur: si vero ex Deo est, nemo poterit dissolvere illud. Act. 5.*

Et his quidem omnibus attendere par esset eos, qui ignorantiam rerum, sibi que plus aequo sapientes, cultui Sacratissimo sese hactenus opposuere. Quos ego, si qui adhuc ejusmodi sunt, ut errorem tandem agnoscant, Deique consiliis obsistere cessent, vehementer opto; hortorque, ut prudentiam eorum pietatemque imitentur, qui quum adhibito diligenti examine, nil nisi pium ac sanctum in cultu praedicto repererint: fortissimaque adesse argumenta viderint, quae suadeant Christum vere illius fuisse authorem: prudenter veriti ne dum proprium judicium pervicacius fortasse sequuntur, divinae re ipsa voluntati, non sine gravi ipsorum periculo, resisterent; omnem contentionem abjecere: ac pium denique officium amplexi, alios etiam ad idem faciendum impellere, ad Jesu Christi gloriam, non desinunt.